



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 66. Censura Facultatis Theologicæ Parisiensis de juribus Episcoporum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

librorum lectionem præcipue Religiosis Sæcul. XVI. A. C. 1524.
interdicendam. Id vero probatum red-
diderat ex ipsis articulis, quos ex Eras-
mi libris deprompserat, eorumque non-
nullos eidem Scriptori exhibuerat: Pri-
usquam vero hosce articulos publici ju-
ris faceret, hanc censuram a Guilielmo
de Quercu Parisiensi Doctore subscribi
voluit.

§. LXVI.

*Censura Facultatis Theologicæ Pari-
siensis de juribus Episcoporum.*

Die decima tertia Junii Ludovicus Argent. coll. jud. de nov. err. t. 2. p. 5. Dupin. bibl. des Scav. t. 13. p. 215.
Combout, seu Cobot ex Ordine
FF. Prædicatorum, cum is sub Henrico
Fabry Præsidio in quadam disputatione,
quam *Aulicam* vocant, responderet, hanc
propositionem enunciabat; *Licet Episco-
pus, qualis inter Apostolos solus Petrus a
Christo fuit immediate consecratus, curatus
vero jure positivo institutus, quoniam nec
Episcopus quisquam, Petro dempto, imme-
diate est a Christo institutus.* Displicuit
hæc propositio cunctis adstantibus, ac
inter eos Magister Guilielmus de Quer-
cu Pro-Decanus, qui tum utpote senior
Regentis officio fungebatur, ex thesin
propugnante sciscitabatur, *an vellet stare
decisioni Facultatis, alias circa præsentem
materiam factæ,* respondit Religiosus,
quod mens sua huic sententiæ consona
esset;

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

esset; cum vero ejusmodi responso datam offensionem haud plene reparatam existimarent nonnulli, Natalis Beda Syndicus ad plurimorum Seniorum preces Religiosum coram Deputatis a Facultate missis comparere jussit, eumque interrogavit, *sciretne præfatæ Facultatis decisionem?* Comparuit ille die decima octava Junii, responditque, *se hoc nescivisse*, subjunxit tamen, *velle se stare, atque in omnibus parere Facultatis decreto*. Post hæc jubebatur, ut in prima Sorbonica, ut vocant, propositionem suam revocaret, ac contrariam tueretur, quam ei Facultas traderet, *hoc adjecto, quod oppositam tenere non sit probabile*. Alteram hujus sententiæ partem Religiosus accepit, ac in sua Sorbonica, quam sequenti die decima quinta Septembris habuit, contrariam propositionem defendit hujus tenoris: *Quemadmodum Petrus a Christo summus Pontifex ordinatus fuisse creditur, & quilibet ceterorum Apostolorum ab eodem Christo, nullo mediante, Episcopus creatus, & Curatorum Ordo institutus, eodemque jure divino triplicem illum Hierarchicum Ordinem Ecclesia tenet, nec horum opposita (cum certum sit Evangelicæ veritati illa refragari) possunt probabiliter suslineri.*

§. LXVII.